

fit aduentus stellam, sonus Christi Iesu, qui nunc per spiritus sancti cooperationem, quem qui non accepit, Christi non est, sua membra excitat pro Iapeti Gomerico iure in Gallia quondam toto in mundo sparsa, posito cognitoque asserendo. Et utinam ipsi Heluetii, qui ab aliquot authoribus inter octoginta Gallorum Respublicas non postremo loco collocantur, cogitent de hac re: dum illufores occidui nostro tempore ludunt dormiuntque, aut quod est maximum eorum opus, cum Nerodo venantur, dicentes in corde suo, Non est Deus. Hoc iudicium nostrum, Numerus septem transfactarum maximarum Coeli coniunctionum & excitat & confirmat. Nam paulo plus, vel minus septingentis nonaginta nouem annis ab Adamo, raptus Enoch fecit primae coniunctionis magnum signum. Noachus in Diluuiio secundum. Dardanus fundator Dardaniae, ex Italia (que tunc adhuc Gallia aut Celtica erat usque ad Romulum) in Phrygiam profectus: item Moses cum sexcentis milibus hominum ex Aegypto egressus in Syriam, fecit Tertiae coniunctionis Catastrophem. Quarta autem partim decem tribus Israel abductae ex Terra sancta in Persidem, & hinc usque in Terram Arzareth (que in Aquilonari parte est extremae Asiae, ubi in hanc usque diem Gauthicae & Tartaricae gentis seminarium faciunt) partim sexcenta milla hominum e Gallia nostra quadripartita a Bethogygum seu Bithurigum rege (per octoginta prouinciarum populos tunc ad nutum eligi solito) in Italiam & Gallograciam missa. Quinta finem accepit veniente Christo, Augusti temporibus, per Iudaei regni destructionem rege Iudeorum a Gentilibus recepto. Sexta finem imposuit Carolus Magnus, quando Gallicanae gentis aere viribusque Saxones & Mauros, Gauthainosque populos qui in Longobardos mutati erant, superauit & GraecoRomaeum Constantino Polcos